DECANUS

Facultatis Medicæ in Regia Acad. Hafnienſi

# THOMAS BARTHOLINUS

*Lectori Sal.*

QVod non ita pridem à Sacra Regia Majeſtate facere juſſi ſumus, ſubjectiſſimo nuper ſtudio perfecimus. Qvippe cum paſſim qverelæ audirentur, præter æqvum augeri à nonnullis medicamentorum pretium, indeq́; malè Pharmacopœi, qvanqvam ſæpe immerentes, audirent, viſum fuit Auguſtiſſimo Regi Divo FRIDERICO TERTIO remedium ſalutare huic incommodo, qvod publicum videbatur, invenire, & ſubditorum utilitati providere, datis ad Facultatem Medicam Academiæ Hafnienſis clementiſſimè literis d. 23. Dec. Anni 1668. qvibus injunxit ut communicato cum Pharmacopœis Urbis conſilio Taxa Pharmaceutica lingva Latina, Danica & Germanica conficeretur, confectaq; publicis typis ederetur, ne poſthac ſe fraudari ullus jure poſſet conqveri. Negotium debita prompti-